Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26146
Copyright: Admont, Benediktinerstift

Haec ad historiam referri quemadmodum portet.
ubi enim inuenimus quod agar clausos habuerit
oculos et apertos postmodum. Non ne luce cla
rior est in his intellegentia spiritalis et mystica.
quod abiecta est is qui secundum carnem est populus.
et tam diu iacet in fame et siti non famem panis
perferens neque sitim aquae. sed sitim uerbi dei.
Donec aperiantur oculi sinagoge. Hoc est quod apostolus
dicit. Eo quod mysterium quia caecitas contigit ex par
te in israhel. donec plenitudo gentium introiret. et
tunc omnis israhel saluus fieret. Ista est ergo caecitas
in agar. quae secundum carnem genuit. quae tam diu
in ea permanet. donec uelamen litterae auferatur
per angelum dei. et uideat aquam uiuam. Nunc enim
iacent iudei circa ipsum puteum. sed et oculi eorum
clausi sunt. et non possunt bibere de puteo legis et pro
phetarum. Sed et nos caueamus. quia frequenter et
nos circa puteum iacemus aquae uiuae. Id est cir
ca scripturas diuinas. et erramus in ipsis. Tene
mus libros et legimus. sed spiritale sensum non ad
tingimus. Et ideo opus est lacrimis et oratione
indesinenti. ut dominus aperiat oculos nostros. Quia
et illi caeci qui sedebant in hiericho. nisi clamassent
ad dominum non fuissent aperti oculi ipsorum. Et quid dico.